

V. Quintam ex illis Gregori verbis: *Quia securam de peccatis tuis fieri non debes*, possumus desumere. Quo minus enim securos nos de peccatorum remissione esse cogitamus, eo securiores erimus. Qua ratione? inquit. Quia quo magis lubricam advertis esse viam, eo cautius pedem figis: sicque dum magis lapsum times, minus incurris, quia magis tibi attendis. Nonne arcta via est, quæ ducit ad vitam? Atqui hæc illa via est, quæ cum timore peragitur. Ita enim viam arctam explicat S. Chrysostomus, hom. I. de resurrect. *Propterea, inquit, Christus strictam et angustam eam vocavit. Neque enim vivere licenter et absque metu fas est.* Duo latrones juxta Christum pendebant: unus arcta via cum Christo in paradisum ivit; quia nimirum timuit: alter lata via ad gehennam abiit; quia non timuit. Ita enim ille ad istum: *Neque tu times Deum?* Unde S. Chrysostomus, in Psal. CXXVII, de converso latrone ait: « Quoniam exiguo tempore, ut oportuit, Christum timuit, beatus factus est, dicente eo: *Neque tu times Deum?* Nullum enim est malum, quod non extinguat Dei metus: » et S. Bernardus, serm. XV. in Psalm. *Qui habitat*, ait: « Timor maxima spei est materia; quia timor est donum Dei dirigens nos ad salutem. » Optime in hunc sensum possumus exponere quod ait sponsa, Cantic. II. v. VI. *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.* Quæ enim est læva Christi sponsi, nisi quæ minatur maledictionem

hædis, qui in judicio stabunt ad ejus lævam? Quæ illius dextera, nisi quæ promittit ovibus benedictionem, statuendis ad ejus dexteram? Itaque sinistra sponsi timorem gehennæ, dextera spem gloriæ haud dubie designat. Quid igitur sponsa? Quid anima Deo devota? Ponam lævam ejus sub capite meo, timorem sponsi mei, condemnaturi impios, sedulo ruminabo et menti meæ imprimam: id enim si fecero, dextera ejus amplexabitur me; quia inde in spem erigor, tribuendæ mihi gloriæ. Rem exemplo confirmat S. Gregorius, lib. IV. dial. cap. XLVI. ubi ait: « Plerumque de culpæ minimis ipse solus pavor egredientes justorum animas purgat, sicut narrari de quodam sancto viro mecum frequenter audisti; qui ad mortem veniens, vehementer timuit; sed post mortem discipulis in stola candida apparuit, et quam præclare sit susceptus, indicavit. » Si præcise pavor mortis in extrema lucta abstergere potest leviores culpas, quid non poterit continuus pavor judicii divini?

Quare, auditores, timeamus cum hodierna plebe, et glorificemus Deum. Glorificemus, inquam, quia in timore suo vivere nos voluit, ut per illum via arcta ad gloriam veniamus. Interim in hoc timore semper degamus, juxta consilium Sapientis, Proverb. XXIII. *In timore Domini esto tota die, quia habebis spem in novissimo.*

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

EVANGELIUM. MATTH. XXII.

In illo tempore, loquebatur Jesus cum discipulis suis in parabolis, dicens: Simile est regnum cælorum regi, qui fecit nuptias filio suo, et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias; et nolabant venire. Iterum misit alios servos, dicens: *Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altitia occisa sunt et omnia parata; venite ad nuptias.* Illi autem neglexerunt, et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam: reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est; et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit. Tunc ait servis suis: *Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni: ite ergo ad exitus viarum; et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias.* Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos et bonos. Et impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Intravit autem rex, ut videret discumbentes; et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, et ait illi: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: *Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit fletus et stridor dentium: multi enim sunt vocati, pauci vero electi.*

CONCIONES.

- I. *Paucitas electorum ostenditur.*
- II. *Supplicia damnatorum capitalia.*
- III. *Cur tam variis pœnis inferi exagitentur.*
- IV. *Justa peccatoris condemnatio ostenditur.*
- V. *Excusationes peccatorum variæ retunduntur.*
- VI. *Media ac modi quibus Deus vocat.*
- VII. *Præparatio ad imminens pestem.*
- VIII. *Documenta.*
- IX. *Mysteria.*

CONCIONES AUCTARII.

- I. *Nuptiæ Christi triplices: cum natura humana, cum Ecclesia, cum anima fidei.*
- II. *Beatitudo cælestis similis nuptiis.*
- III. *Quinam potissimum cælestes nuptias negligant.*
- IV. *Deum ubique præsentem esse, rerum omnium inspectorem.*
- V. *Documenta ex parabola.*

CONCIO I.

PAUCITAS ELECTORUM OSTENDITUR.

- I. Ex Scriptura veteris legis. 1. Sententiis. 2. Similitudinibus. 3. Figuris. — II. Ex ss. patribus. — III. Ex historiis. — IV. Ex inductione. — V. Ex ratione.

THEMA.

Multi sunt vocati, pauci vero electi. Matth. XXII.
Triste et funestum nuntium vobis afferret, auditores, qui prædiceret, certisque argumentis

ostenderet orituram in hac urbe, pestem, quæ majorem hominum partem consumptura esset. Quis enim tunc non metueret? Quis sibi non consuleret seu fuga seu pharmacis pestem avertentibus? Quis non sibi ipsi diceret: *Quid si et tu moriaris?* Prædicat nobis in hodierno evangelio veritas divina pestem funestissimam, quæ maxima pars hominum erit absumenda et morte non transitura sed æterna depascenda, cum ait: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Quis non cohorrescat et totis artibus tremat? Ita enim

exclamat S. Greg. in hæc verba, hom. XXXVIII. in evang. *Tremendum est valde, inquit, fratres charissimi, quod audivimus: quia vocati sumus, novimus: si sumus electi, nescimus. Tanto ergo necesse est, ut unusquisque nostrum in humilitate se deprimat, quanto sit electus ignorat.* Quod vero ista veritas animis nostris firmiter imprimatur, eandem pluribus testimoniis solidabimus.

I. Ex Scriptura vetere et nova. In vetere asseritur primo certis temporibus vix repertum in mundo virum bonum, uti Psal. XIII. *Dominus de cælo prospexit super filios hominum, ut videat si est intelligens aut requirens Deum. Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt: non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum:* et Jer. V. *Circuite vias Jerusalem et aspice et considerate et quærite in plateis ejus, an inveniatis virum facientem iudicium et quærentem fidem, et propitius ero ei:* et Os. IV. *Non est veritas et non est misericordia, et non est scientia Dei in terra. Maledictum et mendacium et homicidium et furtum et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit:* unde concludit Isaias, c. V. *Propterea dilatavit infernus animam suam et aperuit os suum absque ullo termino, et descendit fortes ejus et populus ejus et sublimes gloriosique ejus ad eum.*

Idem explicatur per similitudines. Primo, IV. Esdræ VIII. (quilibet et si non authenticus, magnæ tamen auctoritatis est.) Ibi scribitur: *Hoc sæculum fecit altissimus propter multos, futurum autem propter paucos. Quomodo dabit terram multam magis, unde fiat fctile, parvum autem pulverem, unde aurum fit: sic et actus præsentis sæculi: multi quidem creati sunt, pauci autem salvabuntur:* et, c. IX. *Olim locutus sum et nunc dico et postea dicam: Quoniam plures sunt qui pereunt, quam qui salvabuntur: sicut multiplicatur fluctus super guttam.* Secundo, Isaiæ XXIV. *Hæc erunt in medio terræ in medio populorum, quomodo si pauca olivæ, quæ remanserunt, excutiantur ex olea, et racemi cum fuerit finita vindemia. Hi levabunt vocem suam atque laudabunt.* Quod quidem secundum litteram pertinet ad tempus antichristi. Tertio, Michæ VII. *Væ mihi quia factus sum, ait propheta, vel potius Spiritus s. per os ejus, sicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ (post vindemiam scilicet factam): non est botrus ad comedendum.* Ubi queritur, ut videmus, diabolus facere in mundo vindemiam: Deum autem quasi colligere racemos, qui fugerunt: *Manus vindemiatorum.* Quarto, Amos III. *Hæc dicit Dominus quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura aut extremum auriculæ, sic eruentur filii Israel, q. d. pauci tantum iique viles et pauperes fere eruentur ex ore (ad litteram) Assyriorum: (sensu tropologico) dæmonis.*

Idem per figuras confirmatur. Primo, Gen. VII. legimus in universali diluvio octo tantum animas salvatas esse. Secundo, Gen. XIX. legimus unicum Loth cum uxore et binis filiabus ab incendio Sodomorum erutum, in iis vero ne decem quidem justos esse inventos. Tertio, in I. Exodi, c. XII. legimus sexcenta millia virorum præter mulieres et parvulos exiisse de Ægypto, et ex tanto numero non nisi duos, Josuen et Caleb, intrasse in terram promissionis, reliquos omnes qui Ægypto exierant, periisse in deserto, Numeror. XIV. Hæc autem omnia figurate insinuarunt paucitatem electorum.

In novo testamento legimus primo, in hodierno evang. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Secundo, Matth. VII. ait Dominus: *Intrate per angustam portam, quia lata porta et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt, qui intrant per eam. Quam angusta porta et arcta via est, quæ ducit ad vitam? Et pauci sunt, qui inveniunt eam.* Tertio, Luc. XIII. quærentibus discipulis *Si pauci sunt qui salvantur,* respondit Dominus: *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare; et non poterunt.*

Idem confirmatur ex parabolis Christi, similitudinibus et figuris, Luc. XIV. ex multis invitatis ad cœnam pauci venerunt, Luc. VIII. tres sementis partes infrugiferæ fuerunt: quarta solum in terram bonam cecidit, Matth. III. reprobi comparantur paleis, electi vero tritico: ad Rom. VIII. reprobi comparantur vasis fictilibus et ligneis alicujus domus, electi aureis et argenteis. Quis autem nescit longe plura vasa lignea et fictilia esse in eadem domo, quam aurea, argentea? Denique a decem leprosis non nisi unus rediit, ut daret gloriam Deo.

II. Ex patribus, primo, ex Origene, in Matth. XXII. *Si quis consideret, inquit, multitudinem eorum, qui in ecclesiis congregantur, et discussit, quanti sunt, qui convertentur, disciplinate judicabit esse verum sermonem Dei, dicentis: Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Secundo, ex S. Augustino, I. III. contra Crescon. cap. LXVI. *Ipsi, ait, boni verique Christiani, qui per seipsos multi sunt, comparatione malorum falsorumque itidem pauci sunt. Sic multa grana, quibus horrea multa complentur, pauca dicimus in comparatione palearum.* » Tertio, ex S. Chrysost. ho. LXIV. ad pop. *« Multo sunt plures, inquit, gehennam ingredientibus, sed majus est regnum celorum: »* et hom. XL. *« Quot putatis esse in hac civitate nostra (Antiochia) qui salvi fiant? Infestum quidem est, quod dicturus sum, dicam tamen: Non possunt inveniri in tot millibus centum, qui salvantur, quin et de his dubito.*

Quanta enim in juvenibus malitia? Quantus in senibus torpor, etc. » Quarto, ex S. Gregor. hom. XIX. in evang. *« Ad fidem plures veniunt, ait, et ad cœleste regnum pauci perducuntur. Ecce enim ad hodiernam festivitatem (septuagesimam intelligit) quam multi convenimus? Ecclesiæ parietes implemus sed tamen quis sciat, quam pauci sunt, qui in illo electorum Dei grege numerantur? Ecce enim vox omnium Christum clamat, sed vita omnium non clamat. Plerique Deum vocibus sequuntur, moribus fugiunt. »* Sanctus etiam Simeon anachoreta dixit ex decem millibus vix reperiri unam animam, quæ ad manum ss. angelorum perveniret, apud Baron. tom. X. anno 976.

III. Ex historiis, primo, ex vita S. Bernardi abbatis Clarevallensis, qui cum ex hac vita migrasset, anno 1153. 13. c. d. septemb. anno ætatis suæ 64. horrenda visio Lingoviensi episcopo facta est. Apparuit namque ei eremita quidam mortuus, quem viventem olim noverat, qui divino timore compunctus ante aliquos annos cum esset decanus dives et nominatus, omnia contemnens, eremitorium pro Christi amore intravit. Quem cum de statu suo et divini iudicii districtione interrogasset, ille respondit: *« Ea hora, in qua ego de corpore migravi, triginta hominum millia ab hac luce transierunt. E quibus Bernardus Clarevallensis abbas, qui eadem hora abiit, una mecum ad cœlos evolavit, tres alii ad purgatorium missi sunt: cæteri omnes per sententiam justi iudicis condemnati, ad infernum perpetuo cruciandi descenderunt. »* Jo. Trith. in chron. Hirsang. ad an. 1160.

Secundo, ex annalibus Franciscanorum refert Platus, I. I. de bono statu relig. cap. V. Franciscanum quemdam nomine Bertholdum patria Ratisbonensem concionatorem insignem, vi et spiritu dicendi mulierem peccatricem eo contritionis (de certo quodam peccato) adegisse, ut in concione mortua conciderit. Verum cum omnibus in preces procumbentibus paulo post revixisset, narravit mortis causam, jussamque se ad corpus redire, ut peccatum illud confessione expiaret. Narrabat vero inter alia: *« Cum apparui ad tribunal Dei, adductus sum eo sexaginta animarum millia, quæ toto orbe e vita excesserant atque ex his tres tantum addictæ fuerunt purgatorio, reliqui omnes ad ignem æternum damnatæ. »* Unum autem ex Franciscanis fratribus eodem tempore defunctum per purgatorium quidem transisse, sed tamen ibi non modo non diutius commoratum, verum etiam par animarum, quæ præcipua cum eo amicitia conjunctæ fuerant, secum in cœlum abduxisse. Quis hæc

audiens non totis artibus contremiscat, et salutem suam consulat?

Tertio, Thomas Cantipratanus, I. apum, c. X. scribit anno 1238. mortuum cancellarium quemdam Parisiensem, Philippum nomine, qui non multo post apparuit Guilielmo ejus civitatis episcopo, asserens se damnatum, ob causas, quas recensuit: ad extremum vero interrogavit, utrum mundus adhuc subsisteret. Annuente cum admiratione episcopo, subdit ille: *« Ne mirare, quod hoc interrogem, quia in inferno nec ratio, nec scientia, nec intellectus est. Tantus vero numerus damnatorum descendit ad infernum quamdiu in eo sum, ut nunquam credidisset, tot homines reperiri in universo mundo. »*

IV. Ex inductione, primo enim, maxima pars orbis terræ, in Christum vel omnino non credit, vel non recte credit. Quantum enim fidei invenies in Africa, Asia et America, nisi quam elapso sæculo intulere nostri in aliquibus earum partibus? Restat igitur Europa, ex quatuor orbis terræ partibus omnium minima. Et in hac ipsa quot sunt nationes Turcicæ? Quot millia Judæorum undique dispersa? Sane Lud. Granat. in duce peccator. I. I. c. XXVI. ait: *« Negare mihi non potes ex centum hujus terrarum orbis partibus vix unam esse Christianam, et ex nonaginta novem cæteris ne unam quidem esse salvandam; etenim extra controversiam est, quod sicut extra arcem Noe tempore diluvii nullus conservatus est, nec extra domum Rahab in civitate Hierichuntina: ita nemo salvus fiat, qui extra domum Dei, quæ est Ecclesia, deprehenditur. Cæterum partem eam, quæ Christianorum nomine celebris est, intueri et vide, quo loco res Christianorum hoc exulceratissimo sæculo sint constitutæ: et fateberis in hoc corpore mystico a planta pedis ad verticem capitis vix aliquod membrum sanum reperiri. Cape, quamcumque vis ex civitatibus celebrioribus, in quibus puræ et sinceræ religionis atque doctrinæ extent adhuc vestigia discurre, postea per minora oppida, pagos, vicos et castella, in quibus vix religionis reperitur memoria: et non invenies virum facientem iudicium et quærentem fidem. Perambula porro, non dico tabernas et loca publica (ea enim fere mendaciis, nugis, imposturis, ludis, ebrietatibus sunt dicata) sed domos vicinorum, et audies undique murmura, mendacia, execrationes, juramenta et blasphemias, lites, contentiones, minas, calumnias. Re denique ipsa experiere, corda et linguas hominum nullis aliis rebus vacare, quam terrenis et propriis commodis, nec audies amplius Deum nominari, nisi juramentis et blasphemias, in qui-*

cus Dei nomine abutuntur, ita ut per notas exteriores vix sciri queat, an populus hic christianus sit, an vero gentilis: nisi forte per modum quo campanas cognoscimus, quæ quidem non videntur a longe sed ex sonitu cognoscuntur: sic eos ex juramentis et blasphemis cognoscas, quæ e vicino audiuntur, cætera sciri aut judicari non possunt. Sed quæso quomodo possunt tales annumerari iis, de quibus dicit Isa. LXI. Qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus? » Hæc fere Granat. et verissime. Rursum quot millia sagorum et sagarum sunt in orbe christiano? Quot reprobi milites, homicidii, furtis, rapinis, blasphemis, adulteriis inquinati? Quot infideles servi? Ut in eos usurpare possimus id Domini: *Quis putas, est fidelis servus?* Quot divites perversi? Non enim frustra dicit Ecclesiasticus, c. XXXI. *Beatus dives, qui inventus est sine macula, et qui post aurum non abiit, nec speravit in pecuniæ thesauris? Quis est hic? Et laudabimus eum.* Quot etiam reprobi pauperes qui furtis suæ necessitati consulunt?

Quin et de clericis S. Gregor. hom. XVII. in evang. prædicare non dubitavit: « Ecce mundus totus sacerdotibus plenus est, sed tamen in messe Dei rarus valde invenitur operator: quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus: » et apost. ad Phil. II. ait: *Omnes quæ sua sunt, quærunt.* Denique, adi aulas, tribunalia, officinas, nundinas, militiam, fora, naves, currus, etc. et invenies mores omnium ætatum corruptissimos, adeoque mecum senties.

Ex his patet majorem etiam Christi morum partem vivere in statu peccati mortalis. Juxta regulam autem S. Augustin. qui bene vivit, bene moritur: qui male vivit, male plerumque moritur.

Dices, fere omnes converti ad Deum in mortis articulo. Sed respondetur primo, plurimos obire sine sacramentis et pœnitentia, ut qui repente et inopinato pereunt: secundo, ex iis, qui sacramenta suscipiunt, multi ea male suscipiunt, partim ex ignorantia eorum, quæ ad fidem requiruntur et pœnitentiam; partim ex defectu contritionis vel attritionis; partim ex defectu propositi emendationis; plurimi enim adeo immersi sunt mundo, ut spiritualia non nisi obiter, ex consuetudine vel metu cogitent et peragant; alii certis peccatis pertinaciter adherent, a quibus eorum animus tam repente avelli nequit; alii pravis habitibus involuti sunt; multi habent principia politica perversa, quæ nunquam deponunt, proposito emendationis contraria, ut

injurias ulciscendas, duella oblata non recusanda; ad haustus propinatos respondendum etiam cum periculo certo ebrietatis, statum, vitam et fortunam tuendam etiam cum damno et injuria proximi, etc. tertio, ex iis qui recta ea suscipiunt, multi non perseverant, sed relabuntur saltem in dilectionem pristinaorum peccatorum, recurrentium ad memoriam.

V. Ex ratione, primo, quia via ad infernum lata, facilis et obvia est, etiam non quærentibus; quia est via errantium: via vero cæli nec statim invenitur, nec sine horrore inquit, nec sine difficultate superatur, ratio est, quia ex una parte superat naturæ vires, ex alia natura hominis per peccatum vitiata et debilitata est, quæ etsi confortetur a gratia velut medicina, facile tamen relabitur in pristinam infirmitatem. Ita S. Hieron. Matth. VII. *Lalam, inquit, viam non quærimus, nec inventionem opus est, sponte sese offert, et errantium via est. Angustam vero viam nec omnes inveniunt, nec qui invenerint, statim ingrediuntur per eam; siquidem multi inventa veritatis via, capti sæculi voluptatibus de medio itinere revertuntur.* Ergo sicut facilius est a scopo aberrare, quam eundem tangere: ita facilius, a via cæli deviare, quam eandem tenere.

Secundo, ex S. Chrys. hom. LXXXIV. in Matth. quia pauci sunt, qui virtutes habent integras et ab omni parte absolutas: at qui salvus esse cupit, nulla ei virtus deesse debet, alioquin: *Quicumque offenderit in uno, factus est omnium reus,* ait S. Jacobus, c. II. id est, æque peribit, ac qui in omnibus delinquit. Sicut qui toto corpore armis tectus, unica tantum parte nudus vulneratur plaga lethali, uti Achab, III. Reg. ult. æque interit, ac si in cæteris etiam membris plagam accepisset. Vel sicut qui unam portam aperit hosti, totam urbem æque prodit, ac si omnes aperuisset.

Tertio, quia plurima sunt pericula et salutis impedimenta. Unde S. Antonio ostensus aliquando in visione mundus plenus laqueis; quibus visis exclamavit sanctus: *O Domine, quis tandem evadet omnes istos laqueos?* S. Bernardus, in serm. quodam ait: *In mari Massiliæ de quatuor navibus non perit una: in mari hujus mundi de quatuor animabus vix evadit una.* S. Anselmus iter faciens incidit in venatores et canes persequentes leporem, qui cum pene esset in canum dentibus, accurrit ad pedes sancti tremens et sudans. Itaque manu eum excepit Anselmus et socii dixit: *Talis est anima in extremo periculo vitæ, quam canes infernales persequuntur et devorare contendunt, ut in ejus vita.*

Hæc cum ita sint, auditores, quis non timeat

sibi? Quis non salutis suæ consulat? Certe si milleni dumtaxat ex universo mundo, vel ex nostra urbe unus damnandus diceretur, nonne omnibus et singulis merito timendum esset? Quando audierunt discipuli: *Unus vestrum me traditurus est,* omnes timuerunt, et seipsos interrogarunt: *Numquid ego sum?* Matth. XXVI. Quando ergo non unus e duodecim, sed præ uno salvando duodecim, imo longe plures damnandi asseruntur, quis non magis timeat? Quis non seipsum interroget quotidie: *Numquid ego sum?* illis futurus unus? Quare seipsum quisque examinet, quam ad partem tendat, an cum multis vivat, an potius cum paucis. Unicam habemus animam, quam si semel perdimus, perdidimus in æternum: si salvamus semel, salvavimus æternum.

CONCIO II.

SUPPLICIA DAMNATORUM CAPITALIA.

I. Ejectio a facie Dei. — II. Tenebræ tartaræ. — III. Societas demonum. — IV. Alligatio. — V. Ignis. — VI. Gelu. — VII. Confusio et pudor.

THEMA.

Ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium.

Matth. XXII.

Psalmo LIV. mirum aliquid legitur de Davide; optat enim et imprecatur inimicis suis, quos alioquin amare consuevit, rem ut apparet, pessimam: *Veniat mors super illos, inquit, et descendant in infernum viventes.* Itane David ille mansuetissimus, qui inimicorum suorum mortem et damnationem, uti Saulis et Absalonis acerrime deploravit, vult ut ipsi descendant in infernum viventes? Verum S. Bernardus, orat. ad fratres de monte, nodum istum solvit, dum ait, optandum reprobis, ut per meditationem pœnarum infernalium descendant ad infernum viventes, ne descendant morientes. Quod ergo David optavit suis inimicis, hoc ego vobis opto, auditores, sive amicis, sive inimicis. Et quoniam hodiernum evangelium schema nobis exhibet inferni, descendamus nunc ad illum, ne post mortem descendamus.

Paucis verbis exponit nobis Christus capitales inferorum pœnas, cum in persona regis ait: *Ligatis manibus et pedibus mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium.*

I. Jubetur ejici peccator de convivio nuptiali, et præcipitari in locum ab eo remotissimum:

Mitte eum, inquit, id est, ejicite; unde Matth. VIII. et XXV. dicitur *ejicite.* Quibus verbis indicatur pœna damni, quæ est aberratio ab ultimo fine, carentia visionis Dei, exilium sempiternum a cœlesti patria, amissio juris hæreditarii ad regnum cœlorum, denique jactura et confiscatio honorum omnium in sæcula sæculorum. De qua et Isa. ult. dicitur (secundum translationem aliquorum): *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* Et hæc pœna visa est sanctis viris omnium gravissima, uti S. Petro, qui cum Domino abluturo sibi pedes primo acriter resisteret, dicens: *Domine, non lavabis mihi pedes in æternum,* ubi a Christo audit: *Nisi laveris te, non habebis partem mecum;* adeo territus hac voce fuit, ut statim alius fieret, dicens: *Domine, non tantum pedes, sed manus et caput.* Quod absque dubio non erat dicturus, licet strictum super se carnificis gladium vidisset. Omni ergo gladio et fulmine pejus esse cognovit, non habere partem cum Christo. S. Chrysost. hom. XXIV. in Matth. ait: « Intolerabilis quidem res est etiam gehenna, quis nesciat? Supplicium illud horribile. Tamen si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est, quale est a beatæ illius gloriæ honore propelli, exosumque esse Christo, et audire ab illo: Non novi vos. Est enim satius mille fulmina sustinere, quam vultum illum mansuetudinis pietatisque plenum, nos tamen aversantem videre. » Sic ille. Esau cum audiret præceptam sibi a fratre primogenituram et paternam benedictionem: *Irrugit clamore magno et ejulatu magno flevit,* Gen. XXVII. Et quid est hæreditas temporalis et hominis benedictio, cum cœlesti hæreditate et divina benedictione comparata? Et si nos terreno aliquo bono spoliati, ut visu, honore, parentibus aut uxore, opibus aut domo per incendium vastata, adeo consternamur et lamentamur; quid erit perdere summum et infinitum bonum, adeoque omnia simul bona, quidquid oculos exhilarabat, quidquid gustum delectabat, quidquid aures recreabat, quidquid tactum et olfactum permulcebat, quidquid mentem satiabat? Quamquam hanc jacturam modo non valde æstimamus, quia scilicet bonum illud summum non videmus, nec satis apprehendimus; propterea quod hic carne immersi, instar noctuæ cæcutiamus, et gustum temporali dulcedine infectum habeamus, ideoque cœlestia minus sapiant nobis. « Neque enim navimus, inquit S. Chrysostomus, in hom. suprad. illorum beatitudinem præmiorum, ut infelicitatem quoque de eorum amissione scire possimus. Nos autem hanc absque dubio discemus, cum experimento cœperimus edoceri. Itaque tunc ape-